UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Dispvtatio De Statv In Qvo Sint Beatorvm Animae Post Hanc uitam, ante ultimi iudicij diem

Dévay Biró, Mátyás

[Nürnberg], [1537]

VD16 D 1300

Condem. Censvrae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-34195

Visual Library

PROPOSITIO XLIX.

MEdia seruata non saluant, neglecta non damnant.

CENSVRA.

MEdium seruatum saluat, neglectum damnat.

CONDEM. CENSVRAE.

ETiam diuina præcepta moderatur charitas & necessitas, quid dicemus de humanis præceptis? Et profecto media si serues, non eris iustior coram Deo, si negligis iniustior, sed iuxta dictamen Christianæ libertatis, mediis utendum. De obedientia superiorum nonnihil comminiscitur hic Frater, sed suo more, non habent Episcopi ius condendi leges, sed prædicare legem & Euangelium, & ut secundum ordinem fiant omnia, possunt aliquid ordinare ad finem politicum, ut certas lectiones &c. non ad illaqueandas conscientias.

Episcopi

PROPOSITIO L.

SOlus Christus est mediator Dei & hominum.

CENSVRA.

REdemptionis solus est, sed plures aduocationis.

CONDEM. CENSVRAE.

DE hac propositione in apologia, Hoc unum addam: Sacrificuli

Sacrificuli & Monachi duo habent promptuaria, cœlum & infernum, litant cœlitibus unde non minimum lucrum referunt. Nam quicquid patrimoniorum uspiam habent, sub nomine sanctorum habent, quos suis Missis & precibus pro aduocatis habent. Litant in purgatorio existentibus, unde adeps & pinguedo aqualiculorum emersit.

PROPOSITIO LI.

SAncti uiui saluantur, impij uiui damnantur.

CENSVRA.

QVantum ad causſam attinet.

CONDEM. CENSVRAE.

REgnum fidei & regnum gloriæ nihil differunt in re, nam sancti adhuc uiuentes hæredes sunt omnium bonorum spiritus. Nostrum enim politeuma in cœlis est. Si filij & hæredes &c. Nunc filij Dei nominamur & sumus &c. Sed tantum in modo rei, quia nos in speculo, in enigmate, primitias tantũ spiritus habẽtes, illi facie ad faciem, cum moriuntur salus illis reuelatur. Non sunt condignæ passiones ad futurã gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Sic impij uiui damnantur. Ioan. 3. Qui non credit, iam iudicatus est. Qui non credit condemnabitur. Antecꝫ ueniant dies eius peribit, Hiob 15. Sed hæc est perfricta siue Monachica frons, quæ & Christum & Apostolos audet falsitatis suggillare. Ioũ. 3. Hiob. 15.

PROPOSITIO LII.

NIhil de purgatorio habet scriptura.